damnum ejus Spirituale vel Corporale, quod ex voto timendum
bet. —
jor bonum ex dispensatione oritur. —
à Commutare votum in bonum melius et saluti suae, melius
quis metu, vel gravis mali vovet, valetne? potest.
, quia vovit coactus et non libere. —
quis voveat exterius, et interius non habeat propositum
plendi, valebitne tale votum?
n: quia vovens habet contrariam ~~[illegible]~~ intentionem voto, et
cat mortaliter sic eludendo Deum. —
lestne Episcopus commutare Votum Castitatis ad certum
pus emissum et votum de non contrahendo?
test, et in illis dispensare ex justa Causa, praeser=
~~int~~ incontinentiae, considerata natura, vita, officio
conversatione voventium
a dispensans in voto castitatis, dispensatne in petere an tantum
reddere [illegible] ioni et actum ejus?
quinis [illegible] nsat, sed solum in parte se [illegible]

Obrzęży pozwanych, ktorzy
iakąś nieprawość przyięli

Ktorzy ~~odkarzaiąc~~ pozwanych,
Ktorzy sobie iakąś nie prawość
przyięli, teraz gwałtem zmierzoniaią się
za nim, ażeby karę śmierci nie byli
karany

M. X. 14.

DISSERTATIO MEDICA
DE
HEMIPLEXIA

Quam

Divini Numinis gratia

JUSSU MAGNIFICI DN. RECTORIS ET AMPLISSIMI SENATUS IN ACADEMIA REGIOMONTANA PRO LOCO

Professionis in Medica Facultate Extraordinariæ

Publico Eruditorum Examini

sistit

DANIEL CHRISTOPHORUS BECKHER,

Philosoph. & Medic. D.

RESPONDENTE

CHRISTOPHORO à Lohen/

Pruss.

In Auditorio Majori

Horis ante- & pomeridianis

ANNO M. DC. LXXXVI. d. 3. Octobr.

REGIOMONTI, PRÆLO REUSNERIANO.

AUGUSTO
SERENISSIMO ATQ; POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO
FRIDERICO VVILHELMO,

MARCHIONI BRANDENBURGICO
S.R.J. ARCHICAMERARIO ET PRINCIPI ELECTORI,
SUPREMO IN PRUSSIA, MAGDEBURGI,
JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, STETINI, POMERANORUM,
CASSUBIORUM, VANDALORUM, IN SILESIA ITEM
CROSNÆ, CARNOVIÆQ; DUCI;
BURGGRABIO NORIBERGENSI
PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ ET CAMINI
COMITI IN HOHENZOLLERN, MARCÆ ET RAVENSBERGÆ
DOMINO RAVENSTEINI, LAUENBURGI ET BUTOVI,

&c. &c. &c.

PRINCIPI AC DOMINO SUO
CLEMENTISSIMO,

HANC

PRO LOCO PROFESSIONIS MEDICÆ DISSERTATIONEM,

IN

DEVOTISSIMÆ SUBJECTIONIS TESSERAM,
CUM VOTO

AUGUSTISSIMÆ FELICITATIS

ET

FIRMISSIMI VIRIUM IN ÆTATE PROVECTIORI ROBORIS,

Humillimè offert
ac consecrat
Daniel Christophorus Beckher,
Ph. & Med. D.

B. D.

§. I.

SI quidquam eſt, quod in artificioſiſſima corporis noſtri fabrica, & contemplatione dignum ſit & admiratione, ut certè, omnia & ſingula, cum maximis minutiſſima quæque ſunt, absque ulla profectò dubitatione, culmen totius Divini operis fulgidiſſimum, Caput puta, accuratiorem meretur conſiderationem, maximamque admirationem. Ut enim de externa ejus facie, majeſtatis decorisque omnis ac venuſtatis pleniſſima, nihil jam in medium afferamus; interna certè conformatio illius talis eſt, quæ omnium in univerſum artificum, excellentiſſimorum etiam, deludat ingenium. Expanſum inibi videas nitidiſſimum interioris capitis partium velamentum, totius cerebri involucrum aptiſſimum, craſſa membrana ſeu meninx, quin dura etiam mater vocatum; totum interius cranium ſuccingens, ac baſi ejusdem validè adhærens, nec minùs per fibras nerveas, ſuturis cranii artificioſiſſimis firmiter annexum: laxò præterea ambitu, incluſam cerebri molem comprehendens, variisque vaſorum ſanguiferorum, per totum ejus corpus ſparſorum inſertionibus, ſubjectæ tenui meningi, piæ vulgò matri dictæ, arctius juncta, quin ulterius etiam inter cerebri & cerebelli interſtitia deſcendens, mox rurſus aſſurgens, duplicaturas quasdam relinquit, quibus, ejusdem membranæ coalitu, ſuperiùs occluſis, cavitates, quas vulgò ſinus appellant, efformantur. *Vid. VVilliſ. Cerebr. Anat. c. 1. & 6. Barth. Anat. Reform. l. 3. c. 2. aliosq; Anatomicos.*

§. II.

Subjecta huic eſt altera membrana, tenuis meninx, vel Pia Mater, dicta, ex fibris tenerrimis, atque aranearum telæ ſi-

millimis, contexta, totamque cerebri ſubſtantiam, non ſolùm immediatè ambiens, ſed & intra gyros ejusdem, & anfractus profundos, inteſtinorum tenuium convolutionibus quodammodo ſimiles, ſeſe inſinuans, ad interiores usque cerebri ventriculos, pergit. Innumeras præterea, è baſi calvariæ aſſurgentes carotidum & vertebralium arteriarum propagines admittit, quibus venæ, è ſinubus demiſſæ occurrunt, atque mutuô ſuô implexu, plexus mirandos efformant, glandulis quamplurimis, at perexiguis, granorum milii ad inſtar, ordinariò ſtipatos, *conf. VVilliſ. An. Cerebr. c. 7. Barth. Anat. Reform. l. 3. c. 2.* Tertium porrò, à Neotericis quibusdam detectum, cerebri integumentum, quod jam ſecundô loco ponendum fuiſſet, duræ & piæ matri eſt intermedium, ſingulari itidem tenuitate gaudens, ab accuratiſſimô Amſtelodamenſium Anatomico Bidloo, tertiâ poſt mortem horâ, in ſubjecto quodam repertum, cujus in Regio prorſus opere, ſpectatiſſima ſcilicet ſua Anatome corporis humani, anno præterlapſo demum in lucem editâ, primus, quantum conſtat, mentionem fecit; quam ipſam membranam dein' Excellentiſſ. Lipſienſium Anatomicus J. Bohnius, Fautor atque Amicus noſter honoratiſſimus, in ſectione cadaveris virilis, decimo quinto demum ab obitu die, ſpectatoribus ſuis videndam præparavit. *Vid. Cl. Bohnii circulum Anatomico-Phyſiologicum Progymnaſ. 21. pag. 333.*

§. III.

Hiſce membranis incluſa tenetur, totius Cerebri mollis ac tenera prorſus moles, in tres præcipuè partes notabiliores diviſa: Cerebrum nempe in ſpecie ſic dictum, Cerebellum, ac Medullam oblongatam. Et Cerebri quidem corpus, longiori craſſæ meningis proceſſu, à cerebelli confiniis ad criſtam oſſis ethmoidei, per medium cerebrum excurrente, & à figuræ quadam æmulatione, Falciformi nuncupatô, in dextram & ſiniſtram partem, ac duo velut hemiſphæria æqualia diſtinguitur,

quorum

quorum unumquodque rursus in duas partes alias, à transversim intercurrente ramo carotidis anteriore dirimitur, qui sursum repens, instar rivuli limitanei, ut loquitur Willisius, utrumque cerebri hemisphærium, in binas veluti provincias distingvit. *Vid. VVilliſ. Cerebr. Anat. c. 1.* Ipsa autem Cerebri substantia exterior, cinericia, corticalis, ac glandulosa dicta, mollis admodum, at firma tamen & consistens, ex Recentiorum Anatomicorum observationibus accuratissimis, acervus est minimarum, artificiô nunquam satis demirandô efformatarum, & invicem congregatarum connexarumque glandularum, quæ ipsæ, ovali figurâ præditæ, exteriùs piâ matre obtectæ, ejusdemque vasis sanguiferis, ipsam substantiam altè penetrantibus, pertextæ, interius in fibras exporriguntur albas, medullares nerveas, granis mali punici, per fibrillas cum membranâ cohærentibus, haud multum absimiles, ut loquitur Clariss. Joh. Mauricius Hoffmannus, Professor h. t. Altorffinus celeberr. Amicus noster honoratissimus, *in notis ad Hornii Microcosm. §. 49.* Conferatur de Cerebri glandulosa corticali substantia Excell Marcelli Malpighii, Anatomici Bononiensis felicissimi, Fautoris itidem atque Amici æstimatiss. *Exercit. de Cerebri cortice*, item Caroli Fracassati *Dissert. Epistol. de Cerebro*, Franc. Bayle *Tract. de Apoplexiâ, c. 7.* aliique. Ipsæ autem illæ fibræ medullares, interiorem albicantem cerebri constituunt substantiam purissimam, & argentei nitoris æmulam, quæ tota quanta observatur fibrosa, h. e. ex tubulis ac canaliculis exilissimis qui glandulis corticalibus sunt continui, imò ab his, tanquam totidem vascula excretoria erumpunt, congesta, albisque illis corporibus seu intestinulis, testiculorum molem constituentibus, haud multum absimilis, de quarum investigatione vid Bohnius *Circ. Anatom. Physiol. Progymn. 21. p. 331.* Conf. quoque Ant. van Leevenhœck, Delphensis, Observat. Microscop. curiosissimæ *van het maakſel van de Herſenen, van verſcheyde Dieren*: Regiæ

 Socie-

Societati Anglicanæ communicatæ, atque ex Delfensium civitate, Londinum, ad Dom. Franc. Aston. Anno 1684. transmissæ, præteritoq; anno unà cum aliis ejusdem observationibus Lugduni Batavorum Idiomate Belgicô hôc titulô : *Ontledingen en Ontdeckingen van de onsigtbare Verborgentheden*, in lucem editæ. Cerebellum itidem, quasi parvum cerebrum, ex duabus partibus lateralibus, utrinque quasi globum facientibus, constitutum, depressâ aliquantum rotunditate, intra amplos ossis occipitis sinus reconditum, & pluribus è lamellis sibi impositis compactum, geminâ hâc pariter gaudet substantiâ, corticali puta seu glandulosâ, ac medullari seu fibrosâ, quæ hic nullos quidem ejusmodi gyros inordinatos & anfractus format ut in cerebrô; at elegantissimâ tamen atque artificiosissimâ quadam structurâ, innmeras arboris ramificationes, jucundissimô spectaculô repræsentat; ac processu insuper orbiculato quodam, ex multis portiunculis transversis, tenui meninge copulatis constante, atque hinc ob similitudinis qualecunque rudimentum, Processus Vermiformis dictô, insignitur; ut & tuberculis quibusdam gibbosis, ad quarti ventriculi circumferentiam prominulis, Pons Varolii, nuncupatis. Vid. Barthol. *Anat. Reform. l.3.c.5.* Willis. *Cer. Anat. c.15.*

§. IV.

Medulla denique oblongata, ex albicante illa medullari & fibrosa tam cerebri quàm cerebelli substantia composita, quinimo ut Clariss. Bohnius *Circ. Anat. Physiol. Progymn. 19. p. 313. & 320.* notat, etiam ex glandulosâ alterâ, cerebro & cerebello connectitur mediantibus aliquot processibus, duobus scilicet majoribus, in anteriore cerebri parte radicatis, totidemque minoribus, in cerebelli parte interiore fundatis, dividiturque itidem à piâ matre, quâ immediatè circumvestitur, in partem dextram & sinistram, uti cerebrum ipsum, cujus cerebri duo hemisphæria connectit corpus callosum, medullaris substantiæ

firmior

firmior quædam compages, ac medullæ oblongatæ apicibus, seu corporibus striatis utrisque affixa. Gaudet præterea ipsa hæc medulla oblongata, variis ex utroque latere protuberantiis globosis, Tubera medullaria, à caudice medullari efformata, quibusdam dictis, quarum alias, Thalamos nervorum opticorum, alias verò, quatuor, in genere, Prominentias orbiculares, vel inconvenienti satis vocabulo, nates & testes, nonnulli Veterum appellant, harum duæ anteriores, majores, posteriores verò minores, ac priorum veluti epiphyses, ut loquitur Hoffman. *Not. ad* §. *50. Hornii Microcosm. p. 200.* existunt. inter quas & posteriorem, tertii ventriculi meatum, in quadam quasi convalle recondita Glandula Pinealis, ob figuræ turbinatæ quandam cum pini fructu similitudinem sic dicta, cum Plexu Choroideo connexa, perque radices medullares, nec non fibras nerveas firmata, & piâ matre, vasorumque propaginibus obducta, à Cartesio ejusque sequacibus aliquot, mirum quantum deprædicata, ac pro sede animæ, organoque sensus communis & imaginationis habita, sed à Stenone, Bartholino, aliisque honoris illô titulô jure privata. vid. Nic. Stenonis *Dissert. de Anat. Cereb.* Barthol. *Anat. Ref. l. 3. c. 6.* Willis. *Cereb. Anat. c. 4.* Hoffman. *cit. loc. p. 201. 202.* Highmor. *Disquis. Anat. Corp. hum. l. 3. part. 1. c. 6. juxta Hoffmannum p. 197.* Ex ipsâ hâc medullari caudice ejusque processibus immediatè egrediuntur teretes illi ex fibris medullaribus, membranoso nunc simplici, nunc gemino, nunc triplici secundum Recentiores Anatomicos, involucro inclusis, efformati canales, Nervi puta, poris & meatibus minimis, quasi totidem alveolis, ut loquitur Willisius densissimè excavatis, & invicem contiguis, per totum instructi; adeoque instar Cannæ Indicæ, intus porosi ac pervii: egrediuntur inquam, sed hâc disparitate, ut eorum nonnulli à medullâ elabantur, statim ac crura ejus coierunt, intra calvariam, alii verò sub hujus involucris diutius latentes, perque

membranea involucra nondum separati, longius extra calvariam per spinam ferantur, priusquam inde progerminantes per interstitia vertebrarum distinctius utrinque propullulent. vid. Bohnius *progymn. 21. p. 334.* Willis. *cereb. an. c. 19.* De tertio autem nervorum involucro, vid. Vieussens, Anatomici Monspeliensis accuratissimi, Nevrographia universalis, decennali labore & curiositate singulari congesta.

§. V.

Brevissima hæc est totius cerebri delineatio, in quâ multa adhuc dum satis notabilia brevitatis studiô prætermisimus, cum vel sola hactenus enarrata jam sufficiant, tum ad cognoscendam Omnipotentis Creatoris & in exstructione corporei hujus domicilii, Sapientiam Potentiamque, & in concessione ad inhabitandum Benignitatem, quæ omnium nostrarum speculationum præcipuum semper objectum esse deberet: tum imprimis sufficiunt leviter saltem hactenus depicta ad clariorem distinctioremque perceptionem eorum, quæ in subsequentibus proponentur. Quibus explicandis quàm maximè inserviet plerarumque supra expositarum partium attentius observata geminatio seu duplicatio, in quâ præcipuum ferè affectus propositi latet fundamentum. Vidimus enim Cerebrum, in specie sic dictum, in duo hemisphæria divisum: cerebellum itidem ex duabus partibus lateralibus constitutum: medullam oblongatam bifurcatam quasi, ac lineâ per medium ductâ, è binis velut caulibus, ut loquitur *VVillis. Cereb. An. 13.* conflatam: quinimò corpora striata, thalamos nervorum opticorum, protuberantias orbiculares, & omnia ferè gemina: funiculos itidem nervosos, è dextro medullæ latere erumpentes, in sinistro suos habere compares vel conjuges, exceptô ultimô ac infimô, extra cranium à spinali medullâ prosiliente, atque hinc, nervus sine pari, appellatô. At quorsum ista partium plerarumque geminatio? Scilicet, ut læsâ, quòd sæpè contingit, unâ cerebri parte,

te, altera adhuc salva sit atque incolumis, neque hinc totum semper corpus afficiatur. Hinc in Hemicrania, alterâ capitis parte acutissimos dolores sentiente, altera doloris expers est: quinimò ut alios ejusmodi affectus taceamus, accidit sæpè, ut alterô totius corporis nostri latere, & sensu & motu privatô, alterum salvum sospesque, functiones necessarias exsequi valeat, ceu id ipsum in tristi satis affectu, Hemiplexia dictô, usu venire solet.

§. VI.

In cujus affectus originem dum penitius inquirere propositum nobis est, paucis in antecessum notamus, ipsam hanc Hemiplexiæ vel Hemiplegiæ vocem à græcô Ἡμιπληξία vel Ἡμιπληγία denominationem suam sortiri, illudq; ex ἥμισυς dimidius & πλήσσω vel πλήττω percutio, compositum esse, ac in genere significare, motus sensusque cessationem, in alterutro corporis nostri latere, à capitis vertice ad plantam usque pedis. Rationem verò denominationis exin' desumptam arbitramur, quod illi, qui talis modi affectu laborant, haud aliter ferè, ac hi, qui graviter in alterutrô latere percussi læsique, nec brachium nec pedem movere possunt; ut hinc cum notissimo Apoplexiæ vocabulo quam proximè conveniat, quod ipsum nonnulli ob similitudinem à victimis ad aram prostratis desumptam, in Scholas Medicorum introductum existimant. Vid. Georg. Nymanni Tract. *de Apoplexia c. 1.* Conr. Vict. Schneideri *lib. de novâ trium gravissimorum morborum curatione, tract. de Apopl. c. 2.* Johan. Conr. Michaëlis *nova utilis ac curiosa Apoplexiam curandi Methodus, c. 1.* aliique. Latini scriptores ἡμιπληξίαν vertunt semi-siderationem, translatô, more Veterum, nomine ex agriculturæ terminis, in specie, à morbo, si loqui sic liceat, plantis frugibusque satis communi, qui sideratio, græcè ἀστροβολισμὸς dicitur, ac nihil aliud est, quàm exarescentia à calore & siccitate nimiâ proveniens, qui ipse calor, tum à sidere quodam,

dam, canicula Astronomis, ac nonnunquam sidus *καθ' ἐξοχὴν* dictô, vid. Hippocr. 7. *Epidem. t. 7.* ex Veterum sententiâ provenire credebatur; tum à fulmine, quod itidem Prisci Sidus esse opinabantur, ut patet ex Plin. *Hist. natur. l. 2. c. 20.* A plantis verò ad homines quoque traducta hæc sunt, qui tunc siderati aut sidere percussi dicebantur, quando subitò, motu sensuque privati, concidebant, ad instar fulmine tactorum, unde eosdem, & ἐμβροντήτους affulguratos quasi, vocabant. Conf. J. C. Michaël *l. c. cap. 2.* Item C. V. Schneid. *l. c. c. 4.* Germanis vulgo dicitur, **der halbe Schlag**/ conveniente plurimùm cum græcâ ac latinâ appellatione.

§. VII.

Ac sicuti quoad terminationem plurimùm conveniunt Hemiplexia & Apoplexia, ita quoad ipsam quoque interdum significationem: cum & ab ipso Hippocrate ἀποπληξίης τῶν ἐπὶ δεξιὰ mentio fiat in *Coac. prænot.* ibidemque at aliô in locô, ἀποπληκτικοὶ τὰ δεξιὰ ἢ τὰ ἀριστερὰ vocitentur illi, qui Apoplectici fiunt dextrorsum vel sinistrorsum, ut vertit J. C. Michaël *l. c. cap. 35.* Quinimò sunt, qui Hippocratem per ἀποπληξίην ἀσθενέα seu levem apoplexiam *Sect. 2. Aph. 42.* Hemiplexiam intellexisse volunt. Vid. Franc. Joël. *l. 1. pract. Sect. 3. quæst. 4.* aliosque à C. V. Schneiderô. *l. de Apoplex. c. 5.* item *c. 17.* citatos. Sunt etiam, qui ob eandem rationem, Hemiplexiam pro specie Apoplexiæ levis habent, vid. Mich. Etmüllerus *Part. 2. Prax. med. c. 8.* it. J. C. Michael *l. c. de Apoplexia c. 35. §. 6.* ubi eandem etiam vocant Apoplexiam particularem. Nonnunquam & Paralysis particularis appellatur: Sic Gorrhæus *Defin. medic. in voce* παραπληξία, *Particularem*, inquit, *Paralysin, peculiari nomine,* ἡμιπληξίαν *appellant.* Et Heurnius *de morb. cap. in singulis partibus c. 24.* *Paralysis*, inquit, *quæ alterum latus occupat, propriè vocatur* ἡμιπληγία. Hinc plurimi Practicorum eandem pro specie Paralysis habent vid. Fr. de le Boë Sylvius *l. 2. prax. med.*

med. c. 22. §. 58. aliosque. Nonnulli eandem vocant Paralysin universalem, alii universaliorem, distingvendo scilicet illam ab universalissima. Vid. C. V. Schneid. *de Paralysi c.* 4. qui fusius more solito hæc tractat.

§. IIX.

Verùm diutius in vocis solùm originem, variasque ac cognatas denominationes inquirere, vix operæ videtur pretium, cùm hæcce talia, magnô licet studio undique conquisita, parum tamen lucis, cognitioni ipsius rei fœnerari soleant. Ad ipsius ergo affectus propositi inquisitionem nos accingimus, atque Hemiplexiam dicimus esse Obstructionem vasorum sangvinis, spirituumque, in alterutro cerebri latere.

§. IX.

Per obstructionem verò, non solùm illam strictè sic dictam intelligimus, quæ scilicet fit, cùm meatus aliquis, ob humorum vel copiam, vel crassitiem, vel aliquid intus contentum, clauditur, ceu illam describunt cum Sennerto *l. 2. Instit. med. part. 1. c. 6.* plurimi alii Practicorum ad mentem Galeni *l. 9. meth. med. c. 1. & l. 10. c. 2.* Sed latissimô significatu, eandem ponimus pro quacunque meatuum occlusione, etiam ab aliis rebus extra vasa existentibus, illaque comprimentibus, aliove simili modo coarctantibus aut obturantibus, factâ. Nomine autem generaliori Vasorum sangvinis, vasa κατ' ἐξοχὴν sic dicta, arterias nempe, denotamus, quarum maximus in cerebro, præ venis, est numerus, ut supra jam ostendimus, illasque omnes, carotidis internæ, cervicalisque arteriæ esse propagines asseruimus, quæ varios undiquaque diffundentes ramusculos, etiam ad interiores cerebri penetrant recessus, atque in capillaria tandem facessentes, maximam partem glandulis corticalibus, juxta Recentiorum observationes, pro spirituum animalium à sangvine secretione, inseruntur, conf. Bohnius *circ. Anat. Phys. Prog.* 20. Willis *Cerebr. Anat. c.* 10. Vasa porrò spirituum, nobis non solùm

sunt

ſunt nervi in ſpecie ſic dicti, h. e. faſciculi, ex plurimis filis medullæ fibroſis, compoſiti, ac membranosô involucrô colligati; ſed & ipſæ fibræ medullares, candidam cerebri ſubſtantiam conſtituentes, atque ceu totidem vaſcula excretoria capillaria, ſpiritus animales, ex glandulis corticis, immediatè & antequam nervorum formatorum & compactiorum ſubeant principia, excipientes, totumque medullæ corpus, maximam partem componentes. Conf. iterum Cl. Bohnius *l. c. c. 21.* Sub cerebri denique voce, tum illud in ſpecie ſic dictum, tum cerebellum quoque ac medullam, comprehendimus.

§. X.

Dari verò talem vaſorum obſtructionem in Hemiplexia, ex variis ejusdem ſymptomatibus, haud obſcurè colligimus. Totius enim lateris affecti ἀκινησία καὶ ἀναισθησία, h. e. motûs, voluntarii puta, ſensûsque ceſſatio, oris ex illâ parte diſtorſio, oculique reſolutio, loquelæ interceptio, mentisque quædam perturbatio; hæc inquam omnia & ſingula, communis cujusdam ac principalioris inſtrumenti læſionem aut defectum indicant. Cum autem inſtrumentum commune maximeque principale motûs ſensûsque, Spiritus ſint, animales vulgò dicti, quorum læſio, ſi loqui ſic liceat, vix alia, quàm ipſe eorum defectus, hôc quidem in caſu, eſſe poteſt: hinc ulterius diſpiciendum, undenam ſit taliſmodi defectus, an ab impeditâ generatione, an verò diſpenſatione, aut tandem ab utrâque. Si non generantur Spiritus, tunc aut materia eorum deficiet, aut organa generationis præcipua erunt læſa: prius ſtatui vix poterit; tantum enim abeſt, ut in Hemiplexia, ſangvis, è quo Spiritus generantur, cerebro deſit, ut illud potius vel maximè oppleat; poſterius ergò concedamus neceſſe eſt, organa ſcilicet ipſa ſeu vaſa eſſe læſa, quæ ipſa læſio, hic quidem nulla alia, præter obſtructionem eſſe poteſt, quam etiam interdum ruptio ſequitur. Sin verò non diſpenſantur Spiritus, tunc itidem culpa in vaſa erit

rejici-

rejicienda, quæ quocunque modô occlusâ sunt & obstructa. Hanc obstructionem innuere videtur Hippocrates, quando *l. de vict. acut. t. 37.* τῶν φλεβῶν ἀπολήψιες, venarum interceptiones efficere dicit, ut quis de repente voce privatus fiat; quod ipsum etiam in nostrô affectu usu venire solet, dum scilicet Hemiplectici itidem voce privantur, nec eâdem animi sui sensa exprimere valent.

§. XI.

In hujus autem obstructionis causam dum penitiùs inquirimus, ex Galeni *l. 10. meth. med. c. 2.* supponimus, obstructionum aliam esse ex abundantiâ, aliam ex qualitate succorum, præsertim crassorum, Conf. *l. 9. meth. med. c. 1.* atque hinc utroque modô, in Hemiplexiâ, obstructionem vasorum sangviferorum fieri posse, concludimus. A copiâ quidem sangvinis, quando is affatim ac copiosè nimis, & ultra solitum, in vasa alterutrius lateris cerebri minora, irruit: tunc enim fibrillæ sangvinis, aut terrestre illud ac solidum (quod ordinariò ac naturaliter etiam sangvini inesse statuunt cum Hippocrate & Aristotele, Recentiorum quàm plurimi, Conf. Hippocr. *l. de Aliment.* Arist. *2. part. animal. 4.* J. C. Michaël *l. de Apop. l. c. 18.* aliique) ob vehementem illum sangvinis impetum, in vasa minora protrusum, ad latera eorundem arctiora fertur, iisdemque adhærens, sangvinis motum impedire, ac prorsus sufflaminare potest: quod eleganti simili, satisque convenienti explicat Hippocrates *4. de morb. 25. in fin. Intercipit enim sangvis*, inquit, *postquam collectus est, viam præ copiâ. Quemadmodum, si quis lecythum coriaceum oris angusti, oleo impletum, in osculum vertat è directo, & siquidem hoc feceris, non poterit ex eo prodire oleum*, ἔπνιξε γὰρ τὴν ὁδὸν τὸ ἄλειφαρ, *viam enim ipsum oleum intercepit, utpote multum & confertim incumbens.* Hanc ipsam vasorum, præsertim minimorum, factam à copiâ sangvinis oppletionem ac obstructionem, major quoque eorundem insequitur

 disten-

distensio ac expansio, quæ tantò hic facilius contingit, quoniam vasa illa, arteriæ scilicet, cerebrum ingressæ, tunicam alteram deponunt, servatâ simplici saltem tenuissimâ adejusmodi distensionem satis aptâ. Vid. Willis *Cer. Anat. c. 8.* & alii passim. Ex hâc porrò distensione, solitô majori, adjacentium proximè partium molliorum sequitur compressio, meatuumque subtiliorum occlusio: quinimò interdum etiam ipsorum vasorum dilaceratio ac ruptio, sangvinisque extravasatio, à quâ itidem, partium, qûibus sangvis effusus incumbit, compressio & coarctatio est expectanda. Ipsa autem illa vasorum obstructio ex plenitudine sangvinis, vix adeò sæpè à sangvine quocunque, satis etiam fluido, prorsusque laudabili, copiosiùs affluente, causari poterit, cùm is tam facilè non stagnet; ac præterea plurimi, imò omnes, quibus major fervet circa præcordia æstus, majorque proin' sangvinis in cerebrum fit affluxus, Hemiplectici fierent: præsertim verò hi, quibus ob nimios corporis animique motus, caput ultra solitum incalescit, id autem ipsum experientiæ sæpissimè contrariatur.

§. XII.

Crassior ergò plus minus sit sangvis oportet, qui talium obstructionum autor esse debet, qualem imprimis deprehendimus melancholicum seu atrabilarium, quem etiam ad efficiendam apoplexiam, ac consequenter Hemiplexiam quoque, aptissimum judicavit Hipp. *l. 2. de mort. t. 6.* ubi, *derepente*, inquit, *dolor occupat caput, & statim vox intercipitur, ac sui impotens fit* &c. *Patitur autem hac*, ὅταν ἀῦτῷ μέλαινα χολὴ, ἐν τῇ κεφαλῇ κινηθεῖσα ῥυῇ, *cum atra bilis ipsi in capite commota fluxerit.* Conf. *Aph. 56. sect. 6. it. Aph. 40. sect. 7. 4. de vict. nat. in acut. t. 37.* Hinc eandem ipsam quoque ponit inter morbos atrabilarios, ac illos, qui ætate potissimùm provectiore, à quadragesimô ad sexagesimum annum fiunt *aph. 56. & 57. sect. 6* conf. *sect. 3. Aph. 31. it. 2. de morb. t. 21.* Illâ verò ætate melancholiam obtinere domi-

dominatum, & copiâ aut virtute, aut utrâque potentiorem esse, quam in reliquis ætatibus, inficias ire nemo potest, cùm id satis pateat ex severiore, quæ tunc magis placet, vivendi ratione, ex seriis occupationibus, in quibus homines tunc lubentius occupantur, & quòd eâ ætate frequentiùs in melancholicum morbum incidant. Consumptis enim Spiritibus & partibus sangvinis mollioribus, in prægressis ætatibus, sangvis fit biliosior fervidiorque ac acrior, tandemque ad acidum vergit, calore sensim deficiente, & acidô olim volatili maximèque fugaci, crassiore nunc & magis fixô factô. Accidit enim sangvini ferè idem quod vino, cujus calor in principio moderatus, sensim effervescendo evadit intensior, qui tamen Spirituum dissipatione, aut factâ quocunque modô illorum alteratione, rursus remittit, cùm vinum acorem contrahit; ut scitè id explicat Franc. Bayle *tr. de Apoplex. c. 7.* Cùm autem præditum talismodi acore humorem quoque melancholicum, teste experientia, quamplurimi Medicorum statuant; hinc facilè is, copiâ auctus, subitòque commotus, sangvinem cui permiscetur, magis adhuc incrassare, quinimò, coagulare quasi potest, nõ aliter quidem ac ipsum lac, ob admixtum sibi coagulũ, in caseum cogitur, vid. Galen *5. Simpl. 13.*

§. XIII.

Testatur hoc experientia, sangvinem, affusô acidô, non modò extra vasa faciliùs concrescere, & quod ab ipso secretum est serum instar aquæ liquidum & limpidum, affusione acidi, pari modô coagulari; sed etiam intra vasa, si acidi liquores infundantur, easdem excitari coagulationes vid. Bayl. *l. c. p. 87.* Hinc, si succi Melancholici acidioris, in alterutro cerebri latere, & quidem in specie, in illius quandoque glandulis corticalibus, secretioni humorum destinatis, contingat collectio, isque tandem vel ob quantitatem exundans, vel insigni acrimoniâ sibi viam faciens, vel sangvinis agitatione, aut capitis concussione, aut aliter inde excussus, sangvini affundatur, tunc ipsum coagulat, ac figit, στάσιν ipsius inducit, vasorum obstructiones

 gi-

gignit spirituum hinc copiam & affluxum impedit, ac tandem resolutionem totius lateris efficit. Quæ ipsa, cum subitò plerumque fiat, indicio est, subitaneam quoque sangvinis factam στάσιν partim ob copiosiorem atque impetuosiorem ejus affluxum, partim ob repentinam ejusdem concretionem, quam, præter humorum acidorum, adeoque Melancholiæ imprimis, affusionem, vix alius quispiam, in corpore humanô, tam promptè efficere valet. Cum præterea Hemiplexia morbus sit satis acutus, quippe qui velociter atque cum impetu & periculo ad statum movetur, & mox à principio, gravia symptomata habet, ut sunt mentis quædam emotio, loquelæ defectus, ac cessatio motus sensusque in alterutrô latere, vid. Hipp. *1. Aph. 7.* & Gal. *2. Aph. 19. & 23.* propterea Hemiplexiam ceu morbum acutum à bile & quidem atrâ potius esse quàm à pituita, quæ longos ac chronicos causatur morbos, persvasum nobis habemus Conf. Hippocr. *de Affection. t. 1.* Gal. *comm. in 2. Aph. 19. & 39.*

§. XIV.

Crassiorem verò sangvinem pituitosum, itidem plurimi Autorum, statuunt causam obstructionis illius, quæ tam in Apoplexiá quàm Hemiplexiá fit, cùm caput plurimùm pituitosis succis scateat, ac ægri nonnulli, antequam malô hòc corripiuntur, de capitis gravitate conquerantur, catarrhis sæpè divexentur, plurimaque crassa à cerebrô ad fauces delata, per os, naresque dejiciant, & quæ alia illius generis sunt argumenta. Sed vix firma satis, eadem sunt, siquidem repletionis cerebri à pituitâ indicium certum à copiosô pituitæ in fauces defluxu desumi haud queat, cùm ea potius destillet è glandulis circa fauces sitis, & ad pituitæ tùm secretionem, tùm excretionem destinatis, non è cerebro, è quô nullus pituitæ patet in fauces transitus vid. Bayl. *tr. de Apopl. c. 8.* Conf. C. V. Schneider. *de Catarrhis* it. *de osse Cribriformi, passim.* Rejectiones verò per os, ex glandulis copiosissimis Oesophagi, ut & laryngis, maximam partem ortum ducunt,

cunt, & ob admixtum copiosius sive acidum, sive aliud quodcunque coagulum, tenaces satis ac crassæ quoque fieri possunt. Quæ denique è naribus fluunt, licet è cerebrô descendant, vix tamen morbi ejusmodi acuti, graviorisque causa esse poterunt, quem supra, non nisi ab humore satis acri, acido ac austerô, commodissimè deduci posse, ostendimus: Quinimò copiosus ille pituitæ decubitus non semper arguit cerebri oppletionem, sed nonnunquam etiam summam virium dejectionem, & Spirituum dissipationem, aut extinctionem, quâ fit, ut nervi, qui ductibus secretoriis præsunt, relaxentur, facilemque præbeant humoribus exitum Conf. Bayl. *l. c.* Capitis autem gravitas, etiam ex quocunque aliô humore acri, copiosiùs collectô, quinimò ex ipsa atrabile oriri potest, ceu ab Hippocr. *l. 2. de morb. t. 6.* expressis verbis docemur: ubi, *de repente*, inquit, *dolor occupat caput* &c. *Patitur autem hæc, cum atra bilis ipsi in capite commota fluxerit* &c. Conf. *id. ibid. t. 8. & 21.* it. *4. de vict. rat. in acut. t. 37.* Nihilominus tamen & illud vero vel maximè videtur consentaneum, pituitæ copiam, sangvinis motum tardiorem efficere posse, illumque proinde disponere, ut à succis acidis faciliùs coaguletur: addit Franc. Bayle *l. c.* pituitæ copiam, calorem nativum, & spiritus, ac sales volatiles obtundendo, suâque viscitate irretiendo, melancholiæ & succorum acidorum dominatui favere.

§. XV.

Præcipuam igitur proximamque obstructionis vasorum alterutrius lateris cerebri in Hemiplexiâ causam, statuimus sangvinem copiâ ac crassitie stagnantem. Inter causas verò procatarcticas, seu remotiores, omnia illa ponimus, quæ tùm copiosiorem tùm crassiorem sangvinem reddere, ac imprimis succi melancholici proventum augere queunt. Hinc usitatâ in scholis Medicorum distinctione I. Eorum quæ assumuntur, ad Hemiplexiam disponere possunt, Aër siccior frigidiorque, ac borealis-

realibus ventis impetuosior, corpora nostra constringens, eorumque εὐδιάπνοιαν, ut loquitur J. C. Michael. *tr. de Apopl. c. 25.* seu facilem transpirationem impediens, ac sangvinem, ad crassitiem jam vergentem, magis adhuc & faciliùs incrassans, figensque, & ad στάσιν nimioperè disponens. Hinc & ab Hipp. ipso, Apoplexia, quam sæpissimè insequitur Hemiplexia, inter hyemales ponitur morbos *sect. 3. Aph. 23.* & *Aph. 16.* inter morbos, qui pluviosis tempestatibus fiunt, siquidem tunc facilè cumulantur vitiosi humores, ob haustas cum aëre crassiores, sangvinisque motum retardantes particulas; nec non, ob imminutam ab aëris humiditate, frigiditate & gravitate, transpirationem: unde corpus fit ignavum, somnolentum, & ad functiones obeundas satis ineptum. Conf. Hipp. *sect. 3. Aph. 5. it. l. de Humorib. t. 8.* it. *l. de aëre, aquis & loc.* & *1. Epid. in constitutione temporis tertiâ* it. Arist. *1. Probl. 24.* & *26. Probl. 45.* Exempla vid. in Forest. *l. 10. observ.* & Hollerio *1. de morb. int. 7. in Schol.* juxta cit. I. C. Michaëlis *de Apopl. c. 23.* Cibus & potus in quantitate & qualitate peccans, vini præsertim aliorumque potulentorum ingurgitatio nimia, ad affectum illum itidem disponere, vel saltim causam latentem in corpore excitare potest, quatenus scilicet sangvinis, tùm copiam, tùm motum impetuosiorem, quin aciditatem quoque constringentem ac coagulantem auget. Hinc etiam Ebrietas, ut Apoplexiæ, ita Hemiplexiæ, tristis sæpè autor est, ut apparet ex Hipp. *2. de morb. t. 6.* & *text. 22.* & *3. de morb. 8.* Conf. J. C. Michaël. *l. de Apopl. c. 29.* & Schenck. *Observ. 1. de Paralysis curatione.*

§. XVI.

Porrò 2. Eorum, quæ geruntur, Hemiplexiam inducere possunt, motus animi corporisque nimii, quatenus scilicet impetum sangvinis augere, ejusque ebullitionem promovere valent, ceu idipsum in Irâ potissimum apparet, nec non in Terrore ac subitaneâ consternatione. *Timentibus enim superiora refrige-*

frigerantur, &c. inquit Arist. *l. de respir. c. 20.* 3. Eorum, quæ excernuntur aut retinentur, causæ procatarcticæ esse possunt, Venus nimia, quatenus scilicet illa, spiritus profundendo, caloremque sanguinis dissipando, massam ejus reddit frigidiorem & immobiliorem, quæ ad angustiores alterutrius Cerebri hemisphærii ulterius delata, moram ibi trahit, obstructionesque efficit. Sic solennes ac consuetæ sanguinis evacuationes retentæ, eundem, tum copiâ, tum crassitie, ad στάσιν aptiorem reddere possunt, ceu id in Hæmorrhagia narium, sanguine menstruo, Lochiisque, nec non in Hæmorrhoidibus suppressis, de quibus conf. Hipp. *Coac. prænot.* quandoque usu venire solet vid. Greg. Nymannus *de Apoplex. c. 27.* J. C. Michaël. *l. c. c. 31.* Tandem 4. Eorum, quæ extrinsecus adveniunt, pro causis Hemiplexiæ remotioribus habenda sunt: Balnea intempestiva, imprimis post pastum, de quibus consul. Hipp. *2. de Diæt. 35.* Capitis variæ læsiones à causis externis, præsertim ex ictu aut casu, prout idipsum patet Hippoc. *1. de morb. 14.* it. *ex Coac. Præn. t. 3. n. 316. 317.* ubi: *qui à vulnere*, inquit, *sunt impotentes corporis, exortâ quidem febre, rigoris experte, servantur; non exorta verò, fiunt Apoplectici, partim dextrâ, partim sinistrâ.* Conf. *7. Aph. 58.* Huc referunt nonnulli effusum in cerebro sanguinem, ob rupta ejus vasa, qualem ruptionem, tùm ab acredine, tùm à copiâ humorum, tùm etiam ab externâ læsione oriri posse affirmant: vid. Joh. Jac. Wepferi *observ. Anat. in cadaveribus eorum, quos sustulit Apoplexia;* & Franc. Bayle *de Apopl. c. 8.* it. Felix Platerus. *1. Prax. 2.* conf. quoque suprà §. II. & XI.

§. XVII.

Atque hæ quidem ipsæ in universum omnes causæ, Hemiplexiam efficere possunt, non immediatè solùm, ac nullô præcedente aliô morbô; verùm etiam mediatè, post alios cognatos affectus. Quemadmodum notissimum vulgò est, ipsam haud raro Apoplexiam, in Hemiplegiam dextri sini-

ſtrive lateris terminari vid. Foreſt. *lib.10. obſerv.75. in Scholio*, it. *obſerv.81.* it. J.C. Michaël *de Apopl. c.56.* Fr. Bayl. *de Apopl. c.10.* Greg. Nymann. *de Apopl. c.38.* Ubi obiter notanda quorundam Autorum ſententia, exiſtimantium, ſiniſtras partes præ dextris ſæpiùs corripi, quoniam ſiniſtræ imbecilliores ſunt, dextræ robuſtiores teſte Hipp. *l.3. de morb. t.126.* & Ariſt. *1.hiſt. anim.15.* & *4.part. anim. 8.* ut & Dn. van der Linden *2. Med. Phyſiol.15.* §.25. *ſeqq.* ex cit. J.C. Michael. *l.c. p.229.* Debiliores verò partes unanimi Medicorum conſenſu, morbis fluxionibusque magis patent, quam robuſtiores. Addunt, ſiniſtrarum partium arterias, ob majorem, quam præ dextris acceperunt, anguſtiam, obſtructionibus magis eſſe obnoxias: quibus tandem adjungunt Foreſti teſtimonium, qui *10. obſerv. 75. in ſchol.* ſe, longâ experientiâ, annorum nempe quadraginta quinque obſervaſſe, affirmat, ſiniſtra magis, quàm dextra affici, cui tamen alia opponi poſſet Greg. Nymanni experientia, quâ deprehendit, tàm crebrò dextrum, quàm ſiniſtrum latus, poſt Apoplexiam affectum fuiſſe *l. de Apopl. c.38.* vid. J.C. Michael. *l.c.* it. Hipp. *l. de morb. ſacro t.10.* Inſequitur etiam Hemiplexia interdum Epilepſiam, vid. Schenck. *in obſerv.* & Horſtius, *l.2. obſerv.41* juxta Etmüller. *Prax. Med. Part.2. c.8. p.313.* Sic advenientes Paraplegias ſæpenumerò in Hemiplegiam, & hanc in totalem Apoplexiam tranſire, pro compertò habet J. C. Michael *de Apopl c.35. §.10.* & Quercet. *in Tetrad. graviſſ. affect.* graviores paſſiones hyſtericas, etiam Hemiplexias ſuperveniſſe, obſervat vid. Ettmüll. *cit. loc.*

§. XVIII.

Signa porrò quod attinet, cùm illa à Medicis vulgò dividantur in Gnoſtica, ſeu δηλωτικά, præſentem morbi advenientis ſtatum indicantia, & in Prognoſtica, futurum ejus tàm adventum, quàm eventum, manifeſtantia; ac Gnoſtica rurſus iisdem ſint tùm Pathognomica; morbi naturam ſpecificam ſignificantia;

ficantia; tùm Diagnostica; differentiam morbi individualem ostendentia; hinc ordine omnia, at brevi tamen stylô, pertractabimus. Venturam igitur ut Apoplexiam ita & Hemiplexiam, prædicunt nonnunquam, Torpor in motionibus, & sensus interceptio insolita, juxta Hippocr. *in Coac. Prænot. t. 3. n. 315.* ubi, *Torpores*, inquit, *& stupores præter morem contingentes*, ἀποπληκτικῶν συμβησομένων σημεῖον, futurarum Apoplexiarum signum existit. Quin dolor nonnunquam capitis, juxta *4. de vict. acut. t. 37. it. l. 2. de morb. t. 6. 8. 21.* Vertigo, juxta Hipp. *in Coac. Præn. t 3. n. 66. Ex hæmorrhoide, parū & aliquantisper apparente, tenebricosæ vertigines obortæ, paraplegicum quid significant:* Linguæ impotentia idem præsagire videtur, juxta Hipp. *Aph. 40. Sect. 7.* & *Coac. Præn. t. 2. n. 6.* it. *t. 3. n. 87. 88.* ubi, *in convulsionibus*, inquit, *vocis interceptio diu durans, mala est: parva autem, aut linguæ apoplexiam, aut brachii, aut dextrarum partium significat.* Conf. *Arist. S. 11. Probl. 36. & 54.* Præsentem verò Hemiplegiam, manifestant imprimis alterutrius lateris, per totum corpus ἀναισθησία καὶ ἀκινησία, oculique lateris læsi resolutio, hinc loquelæ interceptio, aut linguæ saltem balbuties, ac mentis quædam perturbatio. Hemiplegiam autem ab omnibus aliis cognatis morbis, evidenter satis, distinguit, locus affectus, siquidem in nullô alio morbô, corporis nostri partes, in uno saltem eoque toto latere sic afficiuntur. Eventum deniq; morbi, quadantenus saltem ostendunt, tum ægroti, tum ipsius morbi natura, aliarumq; circumstantiarum connexio: cùm secundum Hipp. *Aph. 19. sect. 2. morborum acutorum, non omninò certæ sint prædictiones, neq; mortis, neq; salutis;* Hinc in genere de Hemiplexia, idem dicendum, quod de levi Apoplexia prædicavit Hipp. *S. 2. Aph. 42. Solvere Apoplexiam vehementem, impossibile quidem, levem verò non facile.* Interim tamen illa, quæ Apoplexiam, aliosve morbos insequitur, difficiliorem admittere curationem, ideò videtur, quòd materia peccans tùm gravior sit,

tùm etiam diutiùs jam moras traxerit, neq; adeò facilè iterum corrigatur; ut hinc meritò Forestus *l.10.observ.75.in Schol.* asserat, semper vestigia levis resolutionis relinqui. Si partium tabes insequatur, malum: juxta *2.Prorrhet.t.42.* In valdè senibus, qui hoc malô sæpiùs affliguntur, teste Hipp. *2.de morb.21. & 6.Aph.57.* it. *Sect.3.aph.31.* difficulter curatur, ob naturæ impotentiam. *Si hæmorrhoides accedant, utile est &c. Coac. Præn.t.3.n.318.319.* Recidiva, ut in aliis morbis, sic in hoc præsertim pessima.

§. XIX.

Et hæc quidem pauca, sufficiant hactenus, cùm ad ipsam properandum sit curationem, in qua præcipuè id efficiendum, ut in primô statim morbi insultu, *μετεώρων ἐόντων πάντων τῶν λυπεόντων πνευμάτων καὶ ῥευμάτων*, ut verbis utamur Hippocratis *l.de vict.acut.t.35. Cum adhuc in sublimi sunt, omnes, qui affligunt spiritus & fluxiones;* ut inquam, tunc statim ægro quàm optimè prospiciatur, satisq; convenientia adhibeantur auxilia, *εὐβοηθητότερα γάρ ἐστι, faciliùs enim tunc, auxilium admittunt*, addit Hipp. l.c. qui ipse: *χρονίζειν, differre in acutis auxilium, malum* judicat *sect.4.Aph.10.* Ideoque, cùm ad extremos morbos, *αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείην κράτισται, extrema exquisitè remedia sint optima*, test. Hipp. *aph.6.sect.1.* conf. *1.de loc.in hom.t.55.* inter illa autem, Venæ Sectio sit primarium; hinc eadem primò omnium ac statim in principio, etiam hìc erit instituenda, siquidem illam & ipsius morbi natura, & causarum nexus requirit. Obstructio namque à sanguine facta, hujus utique postulat detractionem, quam & copia illius indicat, nimiusque affluxus. Hinc maximum plerumque commodum ex eductô tempestivè satis sanguine, sentiunt Hemiplectici. Undecunque enim mittatur sanguis, totius plenitudo minuitur, quin idem celerius, quam antea, in vasis movetur, à coagulatione prohibetur, & qui in ductibus exilioribus incipiebat concrescere, ibique hærebat, inde extruditur, ac validiore agitatione, suæ fluiditati restituitur, quin deni-

denique, quæ occlusæ erant sanguinis spirituumque viæ, reserantur: addunt nonnulli, restitutum per Venæsectionem liberiorem sanguinis motum, ad hoc etiam conferre, ut, quæ exhibentur sanguinem solventia medicamenta, ad cerebrum uberiùs deferantur, & expectatam conferant utilitatem, vid. Fr. Bayle *l. c. p. 122.* qui hôc ipso digitum etiam intendere videtur in Clysmaticam illam novam; seu modum, quô in venam sectam, medicamenta immitti possunt, ut eâdem ratione, at multò tamen citiùs, potentiusque operentur, ac si per os assumpta fuissent, de quâ ipsâ Clysmaticâ novâ, curiosissimum tractatum edidit celeberrimus per orbem literatum Joh. Sig. Elsholtius, Serenist. Elector. Brandenb. Medicus ordinarius, Fautor noster atque amicus honoratissimus. Conf. itidem *Acta Anglicana, & Ephemerides Gallorum.* De Venæ sectione autem hìc necessariò instituendâ vid. Hipp. *l. 4. de vict. de vict. acut. l. 37.* it. *l. 2. Epidem. f. 5.* J. C. Michael, *de Apoplex. c. 60. & seqq.* aliosque Practicos; quorum nonnulli, in valdè senibus, viriumque dejectione, locô Venæsectionis, Cucurbitulas adhibent, item Hirudines, illis partibus applicandas, unde hæmorrhoides fluere solent, quarum spontanea apertio Hippocrati *in Coac. Prænot.* valdè salubris videtur, siquidem tunc multum melancholici sanguinis educitur. Franc. de le Boe Sylvius, Practicus olim Lugduni Batavorum felicissimus *l. 2. Prax. Med. c. 22. §. 64.* ante omnia, & quidem mox in principio, cervicis posteriori sedi, sive Nuchæ, Cauterium imponi jubet, aut Setaceum, cujus ope materiam peccantem, brevissimè, citissimè ac tutissimè ab affectâ parte retrahi putat; quin idem §. *71.* summum in Hemiplegiâ curanda auxilium, à Fonticulis aut Setaceis in cervice institutis, omnino expectari autumat, tùm ratione evacuationis, tùm ratione salis lixiviosi, cauteria producentis, & humorem noxium corrigentis, imprimis, si subinde, aliquid ejus fonticulo imponatur. Vesicatoria

itidem atque Cucurbitulas, tum simplices, tum sacrificatas, Nuchæ applicandas commendat. Quæ omnia tamen pro variâ circumstantiarum diversarum ratione, cautiùs esse tractanda, quilibet in Praxi paulùm versatus, facilè perspiciet, eaque imprimis seliget, quæ in quovis casu & aptiora & tutiora esse æstimârit.

§. XX.

Nos, si quidquam aliud, in principio statim, materiæ peccantis noxam, quantum fieri potest, tollendam, judicamus, idque non solùm externis ejusmodi, sed præcipuè internis, crassiorem sanguinem melancholicum corrigentibus, obstructionem impedientibus, sanguinem fluidiorem ac subtiliorem reddentibus. Ad hæc autem apta existimamus omnia spirituosa, sale volatili abundantia, utpote quæ intus assumpta, spiritus languentes refocillare, citissimè totam sanguinis massam, pervadere, illius motum caloremque augere, grumos verò dissolvere, acidi austeri atque acerbi vim infringere, sicque mille modis prodesse possunt. In horum verò censum veniunt, non solùm multiplicis generis Aquæ Apoplecticæ, sed præcipuè Spiritus ac Sales volatiles, Armoniaci, Fuliginis, Sanguinis, Cornu Cervi, Viperarum, &c. Hinc omnia Volatilia Aromatica, Succinata, Castoreata, Cinnabarina, aliaque, quorum enumerationi supersedemus, cùm omnium ferè Practicorum, repleti sint hisce libri. Neque etiam in principiô statim omittenda videtur Purgatio, siquidem illâ ipsâ tempore institutâ, alienos à naturâ humores acidos, austeros vel acerbos, feliciter educere possit. Cum autem sanguis concrescens, aut ad concrescendum proximè dispositus, qualis est Melancholicus, non facilè contenta dimittat, sed validô indigeat fermentô, ut fervescat, & partium secretionem patiatur: hinc suasu ipsius Hippocratis *Aph. 9. Sect. 4. Melancholicos vehementer*

ter purgabis per inferiora, habitâ nihilominus virium aliarumve circumſtantiarum ratione. Clyſmata in Apoplexia adeò commendata, ne hìc quidem quandoque negligenda, evacuant enim ac ad inferiora revellunt, & quod ſpirituoſum eſt ac volatile, in venas inteſtinorum illapſum, ſanguinis fluiditatem auget. Vomitus, quem cum Lindano valdoperè commendant Practicorum non pauci, hìc valdè videtur ſuſpectus, præſertim in principiô, quoniam tunc cerebrum, ſanguinis ſtagnatione jam ex parte oppletum, uberiore per arterias affluxu, magis adhuc obruitur, cum magnô ruptionis vaſorum, vel etiam ſuffocationis periculô. Inter externa potiſſimùm commendantur Fomenta, de quibus fuſiùs Hippoc. *de nat. mul.* it. *2. de morb. mul.* Frictiones lateris affecti, quæ non ſolùm revellendi vim obtinere creduntur, ſed & calefaciendo ſanguinem attenuare, ac ſopitam animalem Facultatem excitare, majoremque torporem impedire poſſunt. Inunctiones, verò cum oleis, linimentis, unguentis, aliisve liquidis ſpirituoſis, pro partium roboratione, cautè ſunt adhibendæ, cum non omnes æque pinguia ferre poſſint: accidit enim multis, teſte Fr. Sylviô *l. 2. Prax. Med. c. 22. §. 80.* ut ex pinguium quorumvis applicatione, vel illinitione, mox puſtulæ excitentur, ac eryſipelas partem univerſam corripiat, & quandoque ſequatur partis mortificatio & gangræna. Illinantur ergò potius, lingua, palatum, nares, & tempora, balſamis Apoplecticis, aliisve ſimilibus, quorum partes magis volatiles, in venas capillares penetrando, ſanguinem fundunt, & vias, quibus humores craſſi evacuantur, aperiunt, præſertim circa fauces, nareſque. Valent præterea quandoque & Sternutatoria, quæ motu ſatis vehementi cerebrum afficiendo, obſtructiones tollere poſſunt. De Balneis tàm naturalibus, Thermis ſcilicet, quam artificialibus, præſertim ſulphu-

reis

reis, item de Hypocaustis aut Stuphis siccis cum Vini Spiritu paratis, aliisque hujus farinæ externis remediis, multa in medium afferre, vix operæ videtur pretium, hinc illa saltem indicasse sufficiat. Diætam tandem quod attinet, Alimenta quidem medicamentosa reddi possunt variis aromatibus; illaque moderata quantitate assumi: Aër frigidus & humidus vitandus; quoad corporis exercitia, Frictiones frequentius usurpandæ, animus ad hilaritatem componendus, gravioresque affectus declinandi, Ira præsertim, Mœror ac Timor: Somnus brevior capiendus: Alvus quotidie, si fieri queat, soluta servanda, quin capitis etiam evacuatio non intermittenda, ac imprimis quotidianâ certiore observatione discendum, quid cuique sit convenientissimum, in hisce enim definiendis, propria cujusque constitutio vel maximè venit considerandа, sicut & consuetudo, quæ altera vulgò dicitur Natura.

D. S. G.

...uxisit ... [illegible] ditatis publicae, vel Ecclesiae ... postulandi
...ra potestne dispensare sine Causa?
...Poteat, non vero Episcopus: quia est supra jus
...mmune, et voluntas in eo habetur pro causa, ita si
...pinaret illum, quem certo sciret irregularem, ipso
...cto eum ipso dispensat. — in confessione ...

et S. Bernardus ait:
Si necessitas urget, excusabilis dispensatio est,
ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est,
cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio,
sed crudelis dissipatio est. –
quod si conditio sit de praeterito vel praesenti
certe votum remanet reservatum. —
causa parentum. —